

Tertullianus, Clemens Alexandrinus & Origenes producuntur. Ast hi de consuetudine inter christianos alicubi recepta, non de necessitate legis loquuntur. Et efficerent nihil, si contrarii forent, sua auctoritate, qvæ in rebus gravioris momenti apud orthodoxos haud ita magna apprehenditur. Et apprime credidero observatu dignum, grafsantibus hinc Ethnicis in religionem christianam, inde Iudæis eam blasphemantibus, & conventus Sanctorum sceleratum epularum Scythicoqve sangvinis esu fœdatarum ignominia diffamantibus, tacitæ necessitatis arbitrio horum veræculorum Christianos abstinentiam a sangvine esse professos, ut externo etiam documento abominandas illas cœnas a se alienarent, & accusatores calumniarum convincenterent. Haud obscure ex Tertulliano hæc illustrantur: *In-Adversus ter tentamenta, inquit, Christianorum botulos etiam crux di- Gentes c. stentos admovetis, certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per IX. Apol. quod exorbitare eos vultis.* Hæc temptationum methodus rem ex se liberam apud Christianos amore confessionum, ceu necessariam introduxit, ut Doctorum multi, qvos inter modo laudati præ cæteris habendi sunt, illa innocentia Christianæ argumenta, ceu ex more receptissimo deprompta pro evidentissimis consignarent & coram judicibus assererent, ut ex commentariis ipsorum ad nos devenere. Seculo IV. ex Concilio Gangrensi adducitur canon secundus; *Si quis carnem edentem, præter sanginem & idolis immolatum & suffocatum cum pietate & fide condemnat, uti spem non habentem propter hujusmodi perceptionem, anathema sit.* Ubi addit *Franciscus Sylvius* a sangvine, idolis immolato, & suffocato, non est necessarium abstinere, sed aliquando fuit, scilicet ex præcepto, qvod est Act. XV., qvodqve, ut hinc apparet, diu observatum fuit qvibusdam in locis. Superaddo ego; consilium Apostolorum apud multos pro præcepto habitum, & fervorem confutandarum calumniarum de sangvine humano impactarum ac abominationis sacrificiorum gentilium externo exemplo docendæ, ceu in necessarium Christianorum morem abstinentiam sangvinis in multis locis convertisse. Et ad-

D

ver-